

qui diligentius foeminam interrogatam novit cognationis vinculo ad se pertinere; tum & Legis praecepto teneri se dixit ad ineundum cum illa conjugium. Verum, inquit, alter est vir jure cognationis propinquior, qui si conjugium tecum inire noluerit, ego conditionem non recuso. Mane igitur alterius diei Booz virum conveniens, interrogavit num vellet Ruth in conjugem adsciscere, five potius omne in successione Elimelech jus à se abjicere? recusavit ille conjugium solemniter protestatione ante fores Bethlehem; statimque conjugium Ruth cum Booz initium est; ex quo natus filius Obed, pater Isai patris David Regis.

Facile institutum Authoris, & intentum in eo Libro scribendo intelligimus; quippe qui genealogiam David describere sibi proposuerit. Ex quo facilem ducimus conjecturam, eundem Scriptorem illum, qui res gestas ejusdem Principis literis mandavit, eundem, inquam, & parvum hoc Opusculum digessisse, tanquam supplementum eorum, quae de Regia Juda familia in Opere illo sluisset; cum omnia in Libris Regum profecti nimis à scopo, & à narrationis serie alienum videretur.

Sed quisnam, rogo, Author iste, & cujus aetatis? Nihil certi in ea re habemus. Sunt qui Samuelem, sunt qui Ezechiam, qui Esdras credant; vulgata tamen & magis recepta opinio Samuelem praefert; nihil enim ab illo alienum. Mihi quidem in Opere duae occurrunt loquendi phrasae singulares, frustra in praecedentibus Libris requirenda; frequentes vero in Libris Regum. Prima est. *Hac faciat mihi Deus, & hac addat*, quae in Ruth 1. 17. legitur, & in 1. Reg. 3. 16. & 14. 44. & 25. 22. & 2. Reg. 3. 9. 35. & 19. 13. & 3. Reg. 2. 23. & 19. 2. & 20. 10. & 4. Reg. 6. 21. recurrit. Altera est: *Reveravi auriculam*, pro te monui, tibi dixi; haec autem sese offert Ruth. 4. 4. iterum.

legere est 1. Reg. 26. 2. & 2. Reg. 7. 27. Si igitur certò constaret, Samuelem scriptis mandasse priorem Librum Regum & partem secundi, certa etiam de Authore hujus Libri sententia ferenda esset.

Tempus scripti Operis non magis quam Scriptor innotescit. Legimus quidem historiam illam contigisse sub Imperio Judicum. *In diebus unius Judicis, quando Judices praerant (d)*. Porro eo exordio satis insinuat, scriptum Librum postquam in Republica Judicum Imperium abrogatum esset; quod etiam ex cap. 4. 22. ejusdem Libri confirmatur, ubi expressum Davidis nomen legitur.

Contendunt Rabini, Booz ipsissimum esse Abefan Judicem Israelis (e); & Josephus Antiq. 1. 5. cap. 11. famem, de qua in eo Libro mentio, sub Sacerdotio Hebraei consignat. Magnum Chronicon Judaeorum totam eam historiam refert ad tempus Aod, & ad captivitatem Israelitarum sub Eglon Rege Moab. Alii malunt sub Gedeone; alii sub Barac; alii sub Abimelech; Usserius, quem & nos sequimur, sub Samgar, nempe 120. annis circiter post Josue.

GENEALOGIA DAVID.

Natus anno 2249. 2288.	JUDA, PHAREZ, & ZARA. ESRON filius Pharez. ARAM. AMINADAB. NAASSON. SALMON. BOOZ. OBED. JESSE, vel ISAI. DAVID.
Raab duxit 2553.	
Natus an. 2919.	

Inter conjugium Salmon, & Davidem ortum intercapedo est 366. annorum.

d Ruth 1. 1.

e Judic. 12. 8.



IN DUOS PRIORES LIBROS REGUM PROLEGOMENON.

GEMINI hi Libri in unum olim in Bibliis Hebraicis continuabantur; quemadmodum & unam textus feriem constituisse in Versione S. Hieronymi ex Hebraeo idè colligimus, quòd in veteribus ejusdem Exemplaribus titulorum omnium utriusque Libri capitulum indiculus priori Libro praefixus legatur, tum & marginales numeri, varia textus membra distinguentes, perpetuo ductu usque ad calcem secundi libri regnent. Sed brevi in Exemplaribus Latinis vetus ordo, bipartiti scilicet Operis, rediit, manente cateroqui Versione S. Hieronymi.

Primus Liber historiam complectitur ab orto Samuele usque ad Sacerdotium Hebraei. Philisthaei praelio victis Israelitis cum sibi in praemium victoriae obtigisset Arca Domini, nobile trophaeum in Templo Dagon collocandum duxerunt. Dominus vero accepta ex illis injuria ultionem assumens, gravis adèd in ipsos Deumque eorum factus est, ut Arcam coacti, nec indonatum illam, dimiserint. Samuel longo temporis experimento vir probatus, gubernandum populum assumens, prudentia & pietate singulari Philisthaeos bello fregit. Sed liberorum ipsius scelera gravius ferens populus, tandem ad Regem sibi deprecandum devenit. Deus Saulem, elegit, qui nempe Saul deperditas patris sui asinas quaeritans, pro asinis insperato Regnum invenit. Sed novo honore plus nimis elatus, cum Dei jussionibus acquiescere recusasset, brevi id commisit, ut David in Regem inungeretur. Porro David relatà ex Goliath victoria insignis, eo preclaro facinore & apud populum gloriam, & apud Saulem invidiam in se comparavit. Quare à Rege in necem conquistus, quòd se à praesentissimo periculo liberaret, modò apud Moabitas, modò apud Philisthaeos, modò ad cavernas in montanis Juda fugitabat; & cum semper ad latera haberet insequentem Saulem, semper tamen expertus est praesentissimam providentià Deum protectorem. Tandem Saul à Philisthaeis hostibus laesissus in praelium, cum demeruisse se Dei auxilium intelligeret, ad Magorum opem confugiens, evocari sibi animam Samuelis voluit. Sed frustra omnia; namque praelio victus, in ultima rerum desperatione ipse sibi necem in montibus Gelboe intulit. Haec in primo Regum.

Dissert. Calmet. Tom. I.

Secundus historiam fuscè prosequitur initi à Davide Regni, quem Tribus Juda primùm, deinde post necem Isobeth filii Saulis, Israel universus salutavit in Regem. Urbem Jerusalem à se captam, & Regni & Arcae Foederis sedem constituit; ubi & Templum excitare decreverat, nisi honorem illum filio reservari à Nathan Propheta didicisset. Nihil huic viro ad felicitatem, & ad victorias in hostes erat reliquum; cum ex crimine in Bethsabam, & Uriam commisso tanta rerum mutatio orta est, ut omnium mortalium infelicitissimus haberetur. Namque Amnon ejus filius commisso in Thamar ex patre fororem incestu, fratrem suum ex patre, & Thamaris germanum, Absalomum in se animavit. Hinc Amnonis caedes, tum & conjuratio Absalomi in patrem, qui fuga sese subducere à furore filii coactus, tandem versis in illum armis victoriam quidem è praelio retulit, sed nimium patri ex filii nece funestam. Tot afflictum malis dira etiam lues, quae miserè in Israele grassata est, in ultionem census invito Deo in populum indicti, oppressit. Haec summa secundi Libri Regum sive Samuelis.

Nomen Samuelis, tanquam Authoris Operis, in fronte utriusque Libri in Hebraeis Exemplaribus apparet. Sed cum titulum in suis Exemplaribus non legisset, Graecos Interpretes suspicamus; apud quos constanter inscribuntur Libri Regum, seu potius Regnorum. Judaei Authores (a) scripsisse tantum Samuelem produnt 27. priora capita; totam nempe historiam gestarum à se rerum, tum administrationis suae sicut & eorum omnium, quorum sub Davide & Saule ipse, dum esset in vivis, notitiam comparavit; reliqua profectus Prophetas Gad, & Nathan autumant. Laudant in eam rem 1. Par. 29. 29. *Gesta autem David Regis priora, & novissima scripta sunt in Libro Samuelis Videntis, & in Libro Nathan Propheta, atque in volumine Gad Videntis.* Haec sanè opinio vulgò arrisit (b), sed suas patitur difficultates, ut infra. Alii verò recentiorum his omnibus Prophetis Authorem Operis (c) credunt; quanquam digestum illud suspicantur ex Ephemeridibus ab illis Prophetis relictis. Sed quis iste Author? Grotius credit à Judaeorum doctissimis Jeremiam credi, cujus se filium in opere subodoratos confidunt; ejusque nomine laudari testimonia in Concilio Francfordiensi [d]. Idem etiam

a Talmud. & Kimchi.

b Vide Iud. Orig. l. 6. cap. 11. Procopius Toft. Cajet. Lyr. Serav. Menoza, Cornet. Vatabl. &c.

c Theodoret. Pref. in Lib. Reg. Theodor. Tarsens. Greg. Magn. Sancti. Mart. &c.

d Nihil tale invenim in geminis Conciliis Francfordiensi.



o *Grat. 3. Reg.*  
6. 2.

etiam Author alibi observat (e), mensuram nomina quæ in Libris Regum leguntur, Authoris recentioris ætatem prodere; quippe quæ recentiora sint nomina illa apud Hebræos. Suspiciantur alii Davidem, seu Regem Ezechiam Operis Authores fuisse, vel saltem recensuisse illud Edram Scribam, & captivitate restitutum. Sed fuit horum omnium sunt conjectura; quin & totum Opus unius esse Authoris creditur, non quidem coævi, sed qui relictis ab aliis Commentariis usus fuerit, ita tamen ut iis in unum corpus digestis, nihil addiderit nisi latiores quædam explicationes, de reliquo vel ipsis primigeniis vocibus servatis.

Constans ubique stilus, eglia in Samuelem collata, rerum connexio, atque perpetua series, testimonia quædam aliorum laudata, annotationes historiis quibusdam adjectæ, apertissima sunt hujus rei argumenta: sæpè phrasæ quædam occurrunt, quæ Authorem coævum produnt, aliæ verò quæ recentiorum. Ita 1. Reg. 3. 1. legitur sub Heli Summo Sacerdote: *Sermo Domini erat pretiosus in diebus illis, & non erat visio manifesta.* Quæ igitur ætate Scriptor Operis vivebat, Prophetiæ domum erat frequentius; quemadmodum & frequentissimum fuit post Samuelem sub Davide cæterisque deinde Regibus. Eiusdem Historici ætate urbi Bethel nomen erat *Bethaven* (f), seu domus iniquitatis; quod Urbi nomen inditum est per contemptum, post constitutum in illa à Jeroboamo vitulum aureum. Tandem narrans Author excurrere Davidem regionem Gessur & Gese, notat *ibid.* 27. 8. *Hi pagi habitabantur in terra antiquitatis euntibus Sur, usque in terram Egypti.* Ex quo intelligimus, diu ante Authoris ætatem totam illam regionem eversam in solitudinem redactam fuisse.

Alibi etiam 1. Reg. 6. 18. prodit Arcam Domini ad ætatem usque suam mansisse in agro Josue Bethsamitæ; & paulò infra de Samuele loquitur tanquam de viro satis functo (g), cuius ipse laudes in regimine Israelis prosequitur (\*). Quis autem in animum induxerit talia de se Samuelem scribere vel cogitasse, vel potuisse? Hæc planè sunt, quæ Authorem coævum, quæ recentiorum produnt. Alibi insuper narrat, 1. Reg. 27. 6. urbem Siceleg semper in potestate Regum Juda mansisse, ex quo, tradente Achis Rege Philistæorum, David Urbem illam in sedem obtinuerat; quæ Scriptoris observatio satis insinuat inductam jam inter Regna Juda & Israel divisionem; & quanquam alioqui Tribus Simeon Regno Israelis accenseretur, urbem tamen Siceleg in ea Tribu sitam ad Reges Juda pertinuisse.

Paria etiam animadvertere licet in 1. Reg. 30. 24. 25. ubi post commemoratam Davidis legem, quæ æquam prædè portionem constituerat militibus remanentibus ad impedimenta, cæterisque in prælio decertantibus, tandem concluditur: *Factum est hoc ex illa die, & deinceps. quasi lex in Israel, usque in diem hanc.* Hæc planè nec Samuël, sub hæc tempora vita sancto,

nec Nathano, & Gad sub Davide viventibus conveniunt. Notat etiam idem Scriptor, Dagonis Sacerdotes ne ambularent in superliminaribus Templi religione prohiberi, memores quid cum idolo factum esset coram Arca Domini constituto: id autem, inquit, servant Sacerdotes illi usque in hodiernum diem (h). Scribebat igitur dici post eam ætatem. Addit idem Scriptor 1. Reg. 9. 9. *Olim in Israel sic loquebatur unusquisque. Venite & eamus ad Videntem, qui enim Propheta [Hebr. Nabi] dicitur hodie, vocabatur olim Videntem.* Porro Videntes appellabantur Propheta Saulis & Samuelis ætate; utitur autem Scriptor altero, quod ipse Samuelis ætate recentius nomen agnoscit, nempe *Nabi*, sive *Propheta*. Erat igitur Scriptor Samuele recentior. Tandem *Librum Jusforum* idem Author laudat 2. Reg. 1. 18. ita enim de Davide habet: *Et præcepit ut docerent filios Juda arcum, (Cantici titulus erat) sicut scriptum est in Libro Jusforum.* Quis, rogo, coævus Author synchronum Opus tellem laudaret; cum maximè Opus illud, neque majorem quam Author ille habere posset auctoritatem, neque res illas magis haberet exploratas?

His ita constitutis, tria deducenda nobis videmus. 1. Ambos hosce libros ex originalibus authenticis, & coævus monumentis fuisse digestos. 2. Operis Authorem coævum quidem non esse, ac ferè, incertum tamen quo tempore, scripsisse. 3. Quis potissimum Author ille fuerit, latere.

Hujus scribendi Operis consilium tum Authori, cum cæteris, quorum Commentariis ipse profecit, non illud fuisse censendum est, ut Historiam civilem & politicam intexeret, neque ut res præclarè gestas à viris illustribus pro merito efferret; sed illum sibi scopum præstituerat, ut Historiam planè sanctam darent, quæ, Deus summus Republicæ administrator, rerumque arbiter exhiberetur. Uno verbo nunquam oculos avertit Scriptor ille à Deo Israelis, Lege, Religione, Virtute, Justitiâ ipsius. Nec minus studet tum Davidi, cum Regiæ ipsius familiæ; namque totum priorem Librum gestis ab illo rebus consecrat, ne verbo quidem fermè de 40. annis regni Saulis factò, nisi cum res Davidis unâ implicitè essent. Nihil habet antiquius, quam ut ea commemoret, quæ ad Arcam Domini, Tabernaculum, Sacrosque Ministros spectant; eos sive laudibus efferens, sive vituperatione deprimens, qui pro suo in Legem studio, & contemptu laudes vel secus meruissent. Nec injuriâ prorsus, cum ea unica sit & vera ratio Sacrum Historicum sibi promerendi, si quis pietatis & religionis curas habeat potissimas.

Hoc sanè, supra cæteras omnes Historias, nostri Operis meritum efferret; in. Prophanis enim pinguntur hominum vitia, passiones, ambitio, savitia, injustitia; in hac Deus nunquam non justus apparet, nunquam non sapiens, nihil negligens, omnia dirigens atque disponens, vel ipsis hominum vitis ad sua consilia & judicia implenda usus. Hæc, fateor, omnia in omnibus

h 1. Reg. 5. 5.

bus æquè prophanis historiis ultrà spectanda seu produnt; sed illud nihilo fecius discrimen inter sacram, & prophanam historiam intercedit, quòd illa quidem semper ad Deum revocet, ejusque Providentiam nunquam subducat ab oculis; vidricem in omnibus Divinam Sapientiam & Virtutem demonstret; cui perpetuè contemplationi intenti Lectores vix possunt aliò mentis oculos avertere, fortuitis causis tribuentes, quæ Deus, secretâ quidem, sed mirâ Providentiâ, in certos fines disponit. Nihil in hac Historia Scriptoris arbitrio relictum est, ut dictorum veritati explorandæ, Scriptoris prius indolem indagari oporteat. Unus est Spiritus Sanctus qui rerum narrationem prosequitur, qui veritatem puram putamque fecerit; Scriptoris tantum humani ministerio usus, ipse cæteroqui unus historiae, ejusque dirigendæ Author.

Contraria omnia in cæteris Historicis: quantocunque enim veritatis amore teneantur, quantam adhibeant cautionem, ne splendidis mendaciis decipiantur, aganturque in transversum; aguntur nihilominus non raro, invitè licet, & imprudentes. Rerum ignorantia, præjudiciis, altâ earumdem rerum caligine tum ab antiquitate offusâ, cum ab infito hominum latendi, atque occultandi sua, si quæ maximè probro ipsis fuerint, ingenio, illud non raro committitur, ut tot velamentis obducta veritas vix pateat. Volenti, sive nolenti Historico plura excident, quibus ipse deceptus Lectores decipiet. Absunt hæc omnia à sacris Historicis; nihil enim hic sive de fide Scriptoris, sive de veritate historiae timendum; cur potissimum ejus Operis Author, scilicet Sanctus Spiritus, ipse sit veritatis, & Sapientiae fons, cui unice fidentes restat, ut excusso omni timore par cum voluptate securitas Lectores habeat. De singulis, quæ inter legendum offendimus, rerum eventibus tutum proferimus certumque judicium; quippe qui Sancti Spiritus testimonio fulcimur, pro singulorum merito laudes, sive vituperationes imperitentis. Nihil hic sceleribus Principum indultum, nihil detractum de laudibus piorum; quanquam & laudes feruntur non homini, sed ejus tantum virtutibus. Abusus omnis abest, excusandi scilicet vitia gloriosi tituli adulatione, asperumque ulcus blando verborum linimento molliendi. Peccat David; ejus crimen vividis atrisque coloribus depingitur: à scelere respicit, commissumque peccatum poenitudine eluit; meritis laudibus non fraudatur.

Neque Divinis hisce Scriptoris mores tantummodo instruantur iis, quas ad literam exhibent, rerum gestarum narrationibus; non enim fidem tantum & pium Samuelis studium, non clementiam, & respicientiam Davidis tantum admiramus; alius est aliquid, atque augustius, quod nos detinet. Siquidem in historiis, rerumque gestarum narrationibus, futurorum quædam oracula spectamus; vera aded & exacta, ut nulla sit major Prophetiarum verborum fides. Deus enim humanorum omnium arbiter, non factorum minus, quam

*Dissert. Calmet. Tom. I.*

verborum doctrinâ nos instruit, eaque disposuit omnes rerum gestarum series providentiâ, & consilio, ut ad Religionis Christianæ mysteria, simulque res à Christo Jesu, & in Ecclesia gerendas præluderent. Ita sub eo aspectu considerata Regum historia fufam quædam parabolam exhibet ex historiae veritate repetitam.

Israelitarum consilium de petendo Rege à Samuele Judice, Republicæ statum summo perè turbavit, novamque politiam in Regnum invexit. Rerum ad id usque arbitri fuerant Judices à Deo suscitati; populus suo plerumque regebatur arbitrio; eamque perpetuam servasset libertatem, si maximè voluisset; nihil illi fuisset ad felicitatem præ omni totius Orbis gente reliquum, siquidem Deo parere, ejusque Legi morem gerere non renuisset. Sed humani ingenii verberitas, quæ felicitatis quandoque suæ prolixitate lassatur, & finitimarum gentium, quæ dispoico Regum imperio parebant, exemplum eò impulit Israelitas, ut simile politia genus exproscerent. Deus irrogari sibi injuriam eo populi consilio questus est, atque læsa majestatis suæ reis Saulem in Regem constituit (i); quo semel ad Israelis Thronum evecto, experimento didicit populus vicioriam, & quietem Regni non à Principe sed à Deo unice expectandam.

Cum autem Deus Regem Israelitis daret, id maximè intendit, ut jussionum suarum ministrum traderet, qui nomine suo jus diceret, simulque Republicam administraret (k). Princeps Hebræorum exercitum ducens vice Domini imperabat, prælia Domini gerebat, ejus nutu expeditiones suscipiebat; non nisi consulto Oraculo inibat prælium, expletisque Divinis jussionibus reducebat exercitum. Cæterum communes habens Rex ille cum cæteris è vulgo natales, communes Leges & Religionem, nullo externarum copiarum robore sultus, duo simul & semel referebat; nempe Undum Domini, ejusque ministrum, & subjectarum sibi gentium fratrem; Ducem copiarum, & Judicem Israelis, tum & Israelitarum civem, atque domesticum. Sed officiorum immemor Saul, cum dispoico imperio subjecto sibi populo jura dare voluisset, & fastu insolens intolerabili, jure meritoque Deum habuit depressorem, quem olim ex humili loco ad Thronum Israelis ascendendi habuit authorem.

Res David feliciores expertus est, modesto Principe animo, & religioso. Ante illum Reges populi suffragio eligebantur; sed virtutum ipsius merito factum est, ut successione in ejus familiâ Regnum Deo volente assereretur. Ad id usque rari fuerant in Israele Propheta, nec super singulatas rerum eventus, nisi Summus Sacerdos per Urim & Thummim, consulebatur; nec David ipse aliquo temporis spatio aliter Divinam voluntatem exploravit: exinde consuli Prophetae capti sunt. Nulle majoris momenti res inconsultis Prophetis susceptæ, sive quid factò opus esset suadentibus, sive reprehensione digna ver-

Z 2

f *Ibid.* 13. 5. *Calrametati sunt in Machmas ad Orientem Bethaven.*

g 1. Reg. 7. 15. *Judicabat quoque Samuel Israelis cunctis diebus vita sua, & ibat per singulos annos circumiens Bethel, & Galgala. & revertebatur in Ramatha, ibi enim erat domus ejus.*

\* *Ibid.* 2. 25. *Puer Samuel proficiebat atque crescebat, & placebat tam Domino, quam homini.* *Ibid.* 3. 19. *Et.*

i *Osæ* 13. 10. *11. Dabo tibi Regem in furore meo, & auferam in indignatione mea.*

k 1. Reg. 25. 28. *Prælia Domini, Domine mitu præliaris.*